Quaestio Medica Cardinal. Disput. agit. In Scho. Medic. die Jovis 20 Martii

Clariss. Viro D. Ludovico Breux ~~Doctore~~ med. ~~et~~ Moderatore.

An Elephantiasis est curabilis?

Morborum qui contagiosi nominantur, ea conditio est, atque natura, ut non solum iis corporibus quae invaserint, fomite adhaereant; sed consimili putredine substantiam ~~morbo~~, aliaque quoque inficiant, seminariis, quae occultas habent vires, animantium naturae contrarias, eminus transmissis, aut fomite vel tactu concepti, quo in genere cum multi variique sint morbi, ceteris longe gravior existimatur elephantiasis; quae cum psora, lepra, luique ~~venerea~~ venerea et si magnam habet similitudinem, communemque ad humorem melancholicum analogiam; tamen ab iis tum specie distingui debet, tum magnitudine, ac difficultate curandi.

Psora et lepra melancholici sunt cutis affectus, a se invicem remissione sola, et intensione; ab elephantiasi, praeterea subiecto differunt. Elephantiasis aut diaetae vitio accidit, vel oboritur contagione: eaque a cancro diversa eo semine in visceribus coniugat. Si sponte provenerit, eas causas habet, quae iecur primum afficiunt, sanguinemque calefaciunt, humoremque melancholicum generant: qui ab ipsius nobilissimis partibus, ad viscera et externas sedes sine sensu progrediens putredinem concipit, simul et seminaria contagionis. Ea vero crassa, viscida, et adusta quaeque viros saepius invadunt, in aliud corpus quovis modo, sed praesertim cyathis relicto fomite, traducta humori melancholico primum insident, mox similem corruptionem iis partibus inducunt, quae et sunt molliores, sic et labi promptius afficiuntur.

Venerea lues cutis crassitie duritie, foetore ac pravitate ulcerum, totiusque deformitate corporis, et si adeo sit elephantiasi similis, ut eadem esse videretur, cum primum ab Indis, quibus est ἔνδημος Lusitanorum navigationibus huc advecta nobis, divina quidem ultione, astrorumque concursu, dira contagione grassata est, specie tamen differt ab elephantiasi. Illa cum mollibus et laxis partibus excipitur facile, tum praeputio facillime; unde mox hepar invadit, ibique nacta humorem sibi analogum, eo vehiculo partes omnes corporis pervadens, earum substantiam labefactat, sicque prodit defluvio pilorum, aut tuberculis, quae a lichenibus omnino distinguuntur, aut ulceribus malignis, siccis et rotundis, quae tandem ipsa quoque ossa ~~exe~~ corrumpunt, et exedunt, hinc tophi, acerbissimique dolores in mediis artubus excitantur.

Communia psorae, leprae, luique venereae magno ignota Hippocrati remedia non modo crassum, viscidumque humorem attenuant, et detergunt aut vacuant, et vehementius expurgant, verum etiam seminaria, occulta substantiae totius proprietate oppugnant, et radicitus evellunt, eaque vel assumuntur, vel extrinsecus adhibentur commista hydrargyro, qui diversis naturis et qualitatibus constans, intima corporis citissime penetrat, humores crassos incidit, concretos fundit, et colliquat; atque etiam, quod opus est ingens, occultaeque divinitatis, contagiosam psorae, leprae, luisque venereae cacoëthiam domat, et compescit; nec illius usum quidquam periculi sequitur, aut incommodi, si cum oleo vulpis, et lauri, agrippae aut Martiati unguentis probe misceatur, nec unquam ingeratur.

Elephantiasi (a qua translatum est ad luem veneream unguentum ex hydrargyro) eadem haec praesidia, et alteritia conveniunt, ac prae ceteris quidem viperinae carnes: sed cum nascentis adhuc primordia in imis visceribus abdita latent, nullam sui significationem aegris afferunt, nec ullam ostendunt necessitatem curationis, ut medici tum nunquam fere consulantur: confirmatae vero elephantiasis, ab internis iamque corruptis partibus, ad extimas facti progressus, et spem omnem adimunt recuperandae salutis, positam in partium solidarum ~~et principum~~ ac principum quae hac omnino labe et corruptela infectae sunt, nova generatione, ac redintegratione: quae cum soli Deo tribuatur, sic et elephantiasis curatio.



Ergo Elephantiasis non est curabilis.

Asserebat Simon Pietre Parisinus, 1586.